



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 2. De cooperantibus ad furtum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

¶ 2. Qui multa minuta diversis surripit, peccat mortaliter, quando ad summam pervenit notabilem: tunc enim verum est dicere, quòd rem alienam, & quidem gravem detineat, adeoque damnum inferat notabile, non quidem uni in particulari, sed communitati eorum, qui rebus suis privantur: & nisi hoc admittatur, omninò consequens est, quòd quis, citrà culpam gravem, amplas opes possit contrahere.

## C A S U S III.

*Plures ingrediuntur, vel pratercunt vineam alterius, & unum singuli, vel duos botros decerpunt, sic tamen, ut ab omnibus simul inferatur possessori damnum grave. Quaritur, utrum singuli peccent mortaliter?*

¶ Si omnes id faciunt communi consilio, vel instinctu, peccant singuli mortaliter, & obligantur ad restitutionem in solidum, casu quo contingat alios deficere. Ratio est, quia singuli cooperantur ad totum damnum, quod supponitur esse grave: si fiat merè causaliter, & alter non sit conscius furti alterius, singuli tantùm peccant venialiter, nec tenentur ad restitutionem, nisi pro illa parte damni, quam quilibet intulit; ideoque tantùm est obligatio sub veniali, quia singuli tantùm sunt parva causa damni.

§. 2. *De cooperantibus ad furtum.*

**E**T in præsentì de furto, & in alia de homicidio, detractione, & qualibet injustæ damni-

M

fica-

ficationis materia, sæpè necessaria est cooperantium mentio, & diversus diversorum in talem damnificationem influxus potest esse vel positivus, vel negativus. Accipe novem cooperandi modos:

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Tenetur ad restitutionem mandans, etiam si explicitè, vel implicitè furtum &c. jubet effectu secuto, quia injustè damnificavit tertium; sive id fiat per se, sive per alterum, parum refert.

1. An mandans teneatur ad restitutionem, si mandati revocatio sit insinuata mandatario?
2. Si sit revocatio efficaciter insinuata ante operis mali executionem, mandans ad nihil tenetur, quia tunc nullo modo influit in damnum alterius: si autem mandatario non insinuaverit, vel si insinuaverit, & revocatio non sit insinuata, mandans non excusatur à restitutione, quia equidem moraliter influit in istam damnificationem.
3. An mandans excusetur à restitutione, eò quòd alter equidem mandasset?
4. Neg. Quia ideo non desinit influere in damnum &c.
5. An sola rati-habitio sufficiat, ut quis obligetur ad restitutionem?
6. Neg. Quia rati-habitio non est causa damni, nec in illud influit, sed est posterior; peccat tamen, qui ratum habet furtum &c.

Quæ dicta sunt de mandante, pariformiter

extende ad consulentem, excipe Casum unicum mox subnectendum.

4. Quid intelligitur per *consensum*?

℞. Hoc vocabulo significatur, quòd consentiens alterius damnificationi, fovens, approbans, vel suffragium ferens, si consensu suo, vel favore, &c. influat in actionem damnificativam, sit obnoxius restitutioni.

5. Quid intelligitur per *palponem, recursum*?

℞. Palpo est omnis adulator, qui actionem damnificativam laudat, vel omissionem ejus vituperat, & ignominia vertit.

Tenetur ad restitutionem, quando ita in damnum influit, ut moveat ad occidendum &c. extollendo actionem tamquam generosam, & omissionem ejus irridendo, vel exprobrando: dum autem palpo suâ adulatione, vel irrisione in damnum non influit, peccat quidem, sed ad restitutionem non tenetur.

Per *recursum* intelligitur receptatio furis, paritque obligationem restituendi, quando in damnum influit, ut si furta, vel etiam furem, vel furandi instrumenta domi recipias, occultes, si furem protegas, ipsi securitatem præstes, si furta vendas, &c. aliter judica, quando receptatio furis non influit in actionem damnificativam, ut si furem ad hospitium admittas, sicut alios viatores, &c.

6. Quid intelligitur per alios cooperandi modos?

℞. 1. Duplicis generis dantur participantes: unus participans est in damno, quod per alium in-

fertur, in quantum fit particeps prædæ, & ille tenetur ad restitutionem pro illa parte, quam accepit titulo rei acceptæ: alter participans est in actione damnificativa, concurrente ad ipsam actionem, V.G. deferendo scalas, agendo excubias, effringendo fores, asportando prædam, &c. & tenetur ad restitutionem injustæ damnificationis.

R. 2. Per *mutum* intelligitur, qui debet immediatè damnum impedire, loquendo V.G. prohibendo, strepitum excitando, & interim tacet. Huc spectat: *Qui tacet* (dum loqui debet) *consentire videtur*.

R. 3. *Non obstans* dicitur, qui debet auxilio suo damnum impedire, & non impedit, ut est ille, cui ex officio, vel contractu hoc incumbit.

R. 4. *Non manifestans* est, qui debet alteri manifestare vel ante furtum, ut impediatur, vel post furtum, ut restituere cogatur. Hi omnes tenentur ad restitutionem, quando ex justitia debent impedire furtum ex officio, vel contractu, & non impediunt.

#### C A S U S IV.

*Fur statuit hodiè furari à Joanne, vel ab aliquo indeterminatè, & impulisti, ut fureretur à Paulo: Item: Vult furari hodiè, & impellis, ut expectet in crastinum: an obligeris ad restitutionem?*

R. Ad utrumque aff. Quia verè influis ad damnum, quod infertur Paulo, etiamsi fortè suaseris, ut minus auferat à Paulo, quàm erat ablaturus à Joanne, vel alio; aut ut potius fureretur

cras,

cras, quàm hodie, si in crastinum furtum tuo consilio influas,

## CASUS V.

*Fur erat determinatus ad furandum eodem prorsus modo, hoc est, equè multùm, equè citò, ab eodem, consilium tuum adjicis, an tenearis ad restitutionem?*

R. Sub disjunctione: vel fur efficaciter determinatus propriâ suâ voluntate, insuper movetur tuo consilio, velut novo, & accessorio motivo, vel non; si primum, verè influis in damnum, consequenter restitutioni obnoxius es: saltem non videtur dubium, quin obligeris ad restitutionem, si fur tuo consilio fiat audacior, vel promptior ad furandum, vel citiùs furetur.

## CASUS VI.

*Instruxisti Petrum circa media ad furandum requisita, ante executionem ostendis, te pœnitere facti, imò deterres illum à furto, ita tamen, ut prædicta media per te suggesta, vel usum ipsorum non impediant; contingit, Petrum à te instructum furari, an ad restitutionem tenearis?*

R. Aff. Nam mansit causa à te adhibita, scilicet instructio, vi cuius influis in furtum.

Nec refert, quòd mandans ad restitutionem non teneatur, si mandatum præviè retractarit, quia autoritas mandantis est unica causa movens ad furandum, ac proindè mandato cessante, cessat omnis causa influens.

## CASUS VII.

*Plures habent jus ferendi suffragium, scio majore*

*rem partem in electionem indigni ad aliquod officium inclinari, ego me illis adjungo; queritur, an ad restitutionem obliger?*

Ante resolutionem nota, duobus potissimum modis fieri posse in præsentia materia, ut peragatur electio, & suffragantibus accedam.

Primus est, si valor electionis requirat omnium suffragia, & meum V. G. loco ultimo, vel penultimo dem.

Secundus, dum scio certò alia præcessisse in fatis magno numero, ut eligatur indignus, ita ut ille equidem futurus sit Consul V. G. Superior, &c. sive meum addam votum in favorem ipsius, sive non, & sic est de omni casu dandi suffragii in materia injusta. Sic etiam aliquis lucrabitur litem injustam, sive junior Consiliarius suum ferat judicium juxta præcedentes, sive non.

R. 1. Dum valor electionis requirit omnium suffragia, & ego pariter meum do indigno, teneor ad restitutionem, quia per meum suffragium sum causa electionis indigni, sicque influo in damna inde sequentia.

R. 2. Dum offero suffragium primus, vel saltem isto ordine, ut numerus suffragiorum antecedentium nondum sufficiat ad valorem electionis, tunc dando meum suffragium non tantum pecco, sed verè influo in electionem indigni, atque ita sum causa moralis damni sequentis. Sed quid si electio non requirat omnium electorum suffragia, & meum V. G. ultimo, vel penultimo loco addam, dum sum certus, alia suo numero  
suffi-

sufficiencia præcessisse suffragia, an tunc eligendo indignum obliger ad restitutionem damnorum inde evenientium? R. Aff. Licet enim ante meum suffragium posita sit causa sufficiens ad electionem indigni, & injustæ electionis valorem, tamen eo ipso, quo votum meum superaddo in favorem electi, simul concuro ad eundem effectum, & quidem sic, ut electio accipiat robur à meo suffragio: siquidem electio pronuntiatur valida in vim omnium suffragiorum concordantium.

§. 3. *An omnes cooperatores jam descripti teneantur ad restitutionem in solidum?*

R Esp. Eos teneri eo modo, quo cooperantur, id est, tenentur in solidum, sive ad restitutionem totius damni, supposito, quòd concurrant ad idem damnum totale: si autem ad partem dumtaxat concurrant, tenentur ad partem restituendam.

P. 1. Quo ordine prædicti tenentur ad restitutionem?

R. Cum S. T. 2. 2. q. 62. a. 7. ad 2. *Dicendum, quòd principaliter tenetur restituere ille, qui est principalis in facto: principaliter quidem præcipiens: secundario verò exequens: & consequenter alii per ordinem. Uno tamen restituente illi, qui passus est damnum, alius eidem restituere non tenetur: sed illi, qui sunt principales in facto, & ad quos res pervenit, tenentur aliis restituere, qui restituerunt.*